

**Dissertatio solemnis medico-chirurgica de hypopyo ... / [Christianus Amelingius Eyllermann].**

**Contributors**

Eyllermann, Christianus Amelingius.  
Coschwitz, Georg Daniel.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Jo. Christiani Hilligeri, [1728]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/jsadabkj>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO SOLEMNIS MEDICO - CHIRVRGICA

DE

# HYPOPYO

QUAM

ADSPIRANTE SUMMO NUMINE  
CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORUM ORDINE

P R A E S I D E

DN. GEORGIO, DANIEL  
COSCHWITZ,

MED. DOCT. ANATOM. CHIRURG. ET BOTAN. IN ALMA FRI-  
DERICIANA PROFESS. PUBL. ORDIN. POTENTISS. BORUSS. REGIS IN  
COMITATU MANSFELDENS. ET APUD PALATINOS HALENS, PHY-  
SICO MERITISSIMO ACAD. CÆSAR. LEOPOLD. NAT.  
CUR. COLLEGA LONGE DIGNISSIMO,

PATRONO, AC PROMOTORE SINGULARI OBSERVANTIÆ CUL-  
TU DEVENERANDO

PRO DOCTORIS GRADU  
SUMMISQUE HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN AR-  
TE MEDICA MORE MAJORUM SOLENNI  
OBTINENDIS.

D. X Julii Anno MDCC XXVIII.


PUBLICO ET PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI  
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

EXPONET

CHRISTIANUS AMELINGIUS Eyllermann  
OSNABRÜGGENSIS


HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis IO. CHRISTIANI HILLIGERI Acad. Typ.





## PROOEMIUM



Orpus nostrum mechanice constructum esse, atque in singulis suis partibus peculiarem quasi mechanismum monstrare, nemo est qui dubitat, qui saltem studio artis salutaris aliqualem operam navavit, & in arte anatomica mediocriter exercitatus est. Ex omnibus autem quæ corpus nostrum componunt partibus & Organis præcipuum mechanismum præse ferunt Organa quæ sensoria vocantur, & sensibus externis principalioribus inserviunt; e quibus maxime Auris, cum Oculo præ reliquis excellit. Quantus non apparatus adparet in aure, pro sonis cum aere tremule commoto allatis, recipiendis, dirigen-  
dis, moderandis excavationum, elevationum, ca-  
vitudinum, membranarum, ossiculorum, foraminum,  
A 2 ductu-

ductuum, musculorum, nervulorum, vasorum, quæ omnia in hunc finem conspirant?

Quantum non occurrit structuræ artificium in oculo, per tunicarum diversarum lamellationem, nervulorum implantationem, humorum dispositio-nem, & obfirmationem, musculorum, tanquam instru-mentorum motoriorum accuratissimam distri-butionem ac connexionem, situmque talem, quo e longinquo, æque ac e vicinia, radii visivi, sub illu-minatione objectorum visus, in pupillam incidere possint, ut anima nostra rationalis de objectis, eo-rumque conditionibus, ideam atque judicium sibi formare, ac pro necessitate voluntatem suam circa illa exequi valeat.


Neque deficit hujus organorum sensoriorum structuræ necessitas: cum enim sensus, Animæ qua-si excubitores existant, quorum ope corpus mecha-nicum ab externis injuriis, ipsius structuram læden-tibus ac destruentibus, præservetur, ne læsa corpo-ris structura, per secretionum & excretionum sub-lationem, corporis mixtio destruatur; maxima sane urget necessitas, ut sensoria organa exquisitissime constructa, & pro fine legitime obtinendo, legiti-me adaptata essent.

Sicut autem in statu naturali hac prærogati-va gaudent, ita nihilominus omnia ac singula varie ac diversimode in statu præternaturali afflictioni-bus morbidis subjacent, quæ illorum vel structuram, vel officium lædunt, & vel ad tempus, vel totali-ter

ter perdere possunt. Cujus rei exempla haud pauca quoque circa Oculum nobilissimum visus organum occurrunt. Quod cum ita sit, haud incongruum existimavimus, ut sub præsente Thematis inauguralis elaboratione, quæ nobis impræsentiarum incumbit, affectum Oculorum morbidum proponamus, qui HYPOPYON vocatur; ejusque tractationem methodicam breviter perlustremus. Quod ut in Numinis summi gloriam, ægrotantium vero solamen cedat; est quod subnixis precibus optamus,

## I.

**A**ntequam ad plenariam negotii præsentis pertractionem nos accingamus, necessitas requirit, ut Definitionem affectus de quo loquimur, suppeditemus: quæ vel nominalis, vel realis erit. Nominalem quod attinet definitionem, Hypopyon derivatur, atque componitur in græca lingua, ab ὑπὸ sub, & πύω pus, unde in genere suppurationem denotare potest: quo respectu opponitur & contradistinguitur Hypopio, quod derivatur ab ὑπωπτίζω, suggillo, plagis contundo, & suggillationem seu suffusionem denotat; vel ab ὑπώπιον ad spectus, q. d. suboculare, vel parsquæ oculis subjacet: unde etiam in specie Hypopion hoc Brunoni in Lexico Med. Castell. suggillatio sub oculis audit.



## II.

Realiter si definiendum est Hypopyon, dicimus ex recepto in scholis medicis loquendi modo, quod non generaliter suppurationem in quacunque corporis parte, obnata, sed specialiter suppurationem in Oculo, præcipue in, aut sub ejus Tunica cornea denotet. Quamvis enim a quibusdam strietiore sensu eo restringatur, ut quasi solummodo Pus intra cavitatem, quæ corneam & uveam intercedit, collectum Hypopyon constituat, non tamen deficiunt alii, qui nobiscum si non semper explicite tamen implicite, Hypopyi titulo indigitant Abscessulum intra substantiam tunicarum oculi anteriorum, præcipue corneæ, ejusque confinia ex inflammatione ortum, qui ad maturationem perductus, materiam suppuratam continet, visuique aliorum se ficit, quærupto aut aperto abscessulo, vel inter tunicam corneam & uveam effunditur, ibique humore aqueo permixta visum turbat, vel feliciore successu per exteriores tunicarum oculi lamellas viam quærendo excernitur, suique effluxum patitur.

## III.

Diagnosis hujus affectus haud est difficilis; cum sensus externos incurrat, & adspectu dignosci valeat; quamquam pro diversitate circumstan-  
tiarum specialiorum aliquo modo differat. Vel  
enim adparet Hypopyon in forma pustulæ elevatæ  
humore ad suppurationem prono repletæ, in tu-  
nica cornea, vel etiam aliquando adnatæ superficietu-  
mo-

morem, oculi ruborem, dolorem, & ardorem, tanquam signa inflammationis junctum habentis: vel in conspectum venit sub purulentæ materiæ evasatæ forma, quando nempe hæc humoris aqueo perfunditur, atq; in oculi camera anteriore sub cornea inter hanc & uveam tunicam locum capit, per corneam transparet & ita humorem aqueum turbando, visum perdit; quæ diversitas Solingerum movit, ut distinctionem inter Pyosin, Ophthalmon, & Hypopyon, constituat.

## IV.

Dependet hæc differentia non ab essentia affectus, sed ab accidentalis circumstantia affectum comitante: semper enim adest eadem morbi formalitas, consistens in inflammatione & abscessu formato intra substantiam tunicarum oculi: cum vero tunicae oculi tam cornea, quam adnata ex variis atque diversis quoad numerum laminis compositæ existant, hincque suam crassitatem habeant, nec non per tunicas oculi copiosa simulac subtilia vasa sanguifera, & lymphatica distributa sint, haud adeo difficile est, quod sanguineæ stases & extravasationes in illis occurrant, quæ inter laminas fibrasque tunicarum locum sibi parant, & in corruptionem apostematicam conversæ, mole sua non modo laminas distendunt, sed acrimonia sua erodunt atque in unitate laedunt: quod si circa exteriorem tunicarum partem contigat, pustulam elatiorem in illarum superficie excitat, si autem profundius versus interiora contingat, minor erit versus exteriora ele-

elevatio , facilior vero versus interiora perruptio,  
& hinc puris in cameram oculi anteriorem effusio.

## V.

Solet etiam differentia ab authoribus constitui atque notari inter Hypopyon & Pustulas tam in adnata, quam in cornea oriundas : nec est quod hanc differentiam penitus & in totum rejiciamus ; si enim secundum Joh. B. Verduyk pustulæ saltem miliares parvæ & albidae , aut nigricantes, ad nullam suppurationem tendentes, sed humorem spissifuscum forsan lymphaticum continentes , intelligentur, utique haec distinctio locum habet ; si vero inflammationem junctam habeant, maiores sint, & suppurentur , non videmus quomodo ab Hypopyo differant. De reliquo hic affectus differentiam quoque admittit , quatenus vel idiopathicus , vel symptomaticus existit : ubi idiopathicus nobis audit , quando vel a causis externis violentis , vel ab Ophthalmia graviore citra alias morbi cardinalis præsentiam ortum capit : symptomaticus autem , si aliis affectibus internis morbidis superveniat, quale quid in Variolis haud raro contingere solet. Denique Hypopyon quoque differt, quatenus vel magis superficiale, vel profundius existit, & haec sua differentia maius minusve periculum ratione eventus indigitat.

## VI.

De subjectis si quæstio instituatur , quænam huic afflictioni præ aliis magis obnoxia fieri possint  
aut

aut soleant, hæc sane non possumus certa ac determinata declarare: cum enim hic affectus ordinarie causas occasionales agnoscat, quæ primam ipsi oriendi ansam suppeditant, ab his autem nulla ætas, nullus sexus, nullumque temperamentum facile eximatur, quin ipsis subjici possit; nisi forsitan in casu Ophtalmiæ prægressæ, ad hujus subjecta corpora nempe plethorica ac temperainenta calidiora respicere magis velimus; subjecta manebunt indeterminata.

## VII.

Speciale subjectum vel partem specialiter affectam vero tanto facilius declarare licet, cum non modo ex corporis nostri partibus organicis, Oculus, sed in hoc speciatim certæ ipsius partes, præ reliquis adflictæ hunc titulum mereantur. Oculum enim sub hoc affectu præ aliis corporis partibus principaliter & unice quasi affectum existere; a nemine inficiari potest, qui perpendit imo videt, oculi bulbum tumere, dolere, rubere, imo officium ipsius nobile, visum, laedi. Specialissimæ vero partes oculum constituentes in hoc affectu patientes sunt Tunicæ in quibus Hypoyon, conspicitur, & quarum officium per ipsius præsentiam laeditur: quas superius jam declaravimus, quod sint vel Tunica oculi adnata seu conjunctiva, vel cornea. In utraque enim harum aliquando hypopyon oritur, ubi tamen potissimum sua præsentia visui inimicum existit, quando in cornea existit, & quo magis ad pupillam extenditur: an vero Uvea tunica pro parte

affectionata declarari possit aut debeat, ita ut Hypopyon in illius substantia nascatur, dubium nobis videtur, propter teneritudinem minoremque ipsius crassitatem, quæ tantam puris collectionem haud facile concedit, unde potius nobis verosimile videtur, illos authores, qui Uveam ut subjectum supponere videntur, eo sensu hoc facere, quatenus sub effusione puris inter corneam & uveam pressionem & expansionem patitur: quo sensu etiam humor aqueus pro subiecto in hoc casu declarari posset, quia perfusio nem puris, siue turbationem patitur; quod tamen latius quam par est extenderetur.


### VIII.

Devolvimus nunc ad causas earumque evolutionem; ubi primo occurrit materialis proxima, quam in humoribus, tam sanguine quam lympha admixta, extravasatis quaerimus: dum enim per arteriolas æque ac venulas Oculorum tunicas subtillissime perreptantes, sanguis lymphali humore referitus fertur ac vehitur, accedente aliquali motus impulsu, qui vasorum aut humorum conditioni impar existit, eorundem distensio aut ruptura contingit, unde intra substantiam fibrosam & lamellarum tunicarum effunditur, quæ a molecula illa sanguinis extravasata itidem distenditur, ita ut sanguis stasi atque quieti subiectus ex sua natura in corruptionem ruere cogatur, quæ tamen hic ob admixtam lympham partiumque sulphurearum dispersionem non sphacelosa, sed apostematica evadit. Sicut enim alias in corpore stases sanguineas occurrentes motus sanguini-

sanguinis congestoriis excipiunt atque sequuntur, quibus si fieri potest portio stasi correpta iterum disspellatur, resolvatur, discutiatur, ita hic idem contingit, & sanguinis affluxus major ad oculorum tunicas sequitur, unde ardor, rubor, tumor, dolor: cum autem non semper in naturæ potestate positum sit, ut fine proposito exasse potiatur, sufficit hic, quod particulæ agilissimæ in hac stasi dispellantur, reliquæ autem per mutationem situs & figuræ, uti recentiores loquuntur, in materiam convertantur suppuratam.

## IX.

Ex antecedentium causarum classe occurrit congestio sanguinis ad caput facta, motusque proportionem naturalem superans: quamdiu enim sub ordinariis atque æqualibus sanguinis motibus crux per vascula oculorum fertur, & æquali ordine per arteriolas allatus per venulas quoque regreditur, ac proportione æquabili circulatur, tamdiu neque stases, neque extravasationes, neque inflammationes ortum capere possunt: quam primum autem sanguis per arteriolas celeriore aut fortiore motu impellitur, quam per venulas retrocedere potest, facilis negotio in vasculis minimis hic occurrentibus, primo stagnationes, vasorumque distensiones, deinde rupturæ, & extravasationes, veræque stases oriuntur. Neque rationi contrariabitur, si ad hanc causarum classem etiam sanguinis conditionem præternaturalem, aliquando ad minimum concurrentem, refe-



ramus: id quod fit, quando spissior est quam pro transitu per vascula minima esse debet, aut speciali mucescentia laborat, tantoque minus sub hac conditione motum impetuosum tolerare potest; aut discrasia salsa infectus tanto faciliter tenerioribus ac sensibilioribus oculorum tunicis rosionis effectu infensus esse potest.

## X.

Ad Occasionales si animum dirigamus causas, variæ illarum deprehenduntur: siquidem ad hunc affectum aliquando disponunt violentiæ externæ, ab ictibus, aut contusionibus in oculis percessis, illatæ. Quando enim violento talismodi iectu oculi bulbus afficitur, sub tunicarum quassatione succedit fibrarum motricium debilitatio & relaxatio toni, ne dicam quod quandoque unitatis læsio contingere possit: & cum oculus ceteris paribus inter corporis partes facile sensibilissima existat dolores gravissimi causantur, quibus præsentibus major sanguinis atque humorum affluxus succedit, quo stasis & inflammatio formatur, quæ si satis cito haud resolvatur ac discutiatur, suppurationem talem post se trahere valet. Neque hie excludendæ sunt Oculi læsiones vulneratoriae, præcipue tales, quæ subtiliores existunt, nec statim humorum effluxum simultaneum concedunt atque causantur; ita ut discesso, aut puncto aliquo vasculo sanguifero, stasis & extravasatio sanguinis sub oculi tunicis, & intra illas oriatur. Id quod aliquando accedit a Cataractæ depositione, quando sub acupun-

ctura

Etura vasculum aliquod læditur, & sanguinis extravasatio vel turbationi humoris aquei, vel hypopyigenationi ansam præbet, prout a Clariss. Heistero hoc probe notatur: nec non a propria observatione comprobatur. Vidimus enim Virginem 50. circiter annorum cataracta laborantem, & operationi chirurgi ocularii cujusdam se subjicientem; cui tri-duo post operationem magna superveniebat inflam-matio, postquam humor aqueus sanguine perfusus esset; & ita materia suppurata successive post cor-neam tunicam locum suum capiebat, dum inflamma-tio haud tempestive discutiebatur, aut discuti poterat. Potest tamen hæc læsio sub cataractæ deposi-tione longe facilius contingere, si chirurgus aeu a-pice latiuscula scindente prædita, quæ rotunda pun-gente utatur, dum vascula minima oculi facilius pun-cturam effugiunt: præcipue si forsan Ophtalmiater minus exercitatus, aut debita notitia de oculi stru-ctura haud instruētus fuerit, e quo dupli funda-mento facillimo negotio, acum justo profundius in-trudere, maleque cataractæ depositionem suscipere potest.

## XI.

Ad occasio[n]ales quoque causas Hypopyi re-ferimus Variolas, sub quibus aliquando tanta con-tingit sanguinis & humorum ad caput congestio, ut neque oculi liberi aut immunes ab illa maneant, sed sanguine perfundantur, doleant, rubeant, &, dum ægrotantibus præcipue tenellis ad ploratum aut fri-

& ionem ansa suppeditatur, s<sup>e</sup>piuscule quoque hu-  
 jus affectus generatio inde emergat: quo ipso va-  
 riolosi ægrotantes summum incurront periculum de-  
 visus amissione, si nempe rupto Hypopyo vel humo-  
 res oculi effluant, vel supra pupillam turpis cicatrix  
 ipsius claritatem obnubilans remanserit. Cujus rei  
 varia extant testimonia, quorum aliqua saltem al-  
 legare licebit. Sic Fabricius Hildanus Observ. Chi-  
 rurgic. Cent. VI. Obs. LXXXII. ad Blandinum trans-  
 missa, sequentem in modum loquitur: *Ceterum mi-  
 sere nunc affligimur hic Variolis, variis diversisque Sym-  
 ptomatibus complicatis, quam plurimos infantes e medio  
 tollunt. Varia post se relinquunt symptomata, præsertim  
 in iis, qui non exarte curantur. Hisce diebus ex vicino  
 oppido adducta mihi fuit Puella, cui materia illa acris va-  
 riolarum ita eroserat corneam, ut ex utreque oculo facta  
 fuisset coëca.* Simile quid testatur D. Joh. Jacobus  
 Wagnerus; Ephem. Nat. Curios. Dec. II. Ann. V.  
 Obs. CIII. inquiens: *Quam miserabilem aspectum Va-  
 riolæ non nunquam post se reliquant, Æ autoptæ, Æ Me-  
 dicorum observationes frequentes docent. Variolæ dextrum  
 quoque oculi bulbum puelli cuiusdam nostratis invaserunt,  
 unde Hypoyon sive Oculum purulentum contraxit, hic ex-  
 tra orbitam prominuit, ut turpi spectaculo fuerit:* & Dec.  
 III. Ann. IV. Observ. I. Georgius Frankus de Fran-  
 ckenau ita loquitur: *Heidelbergæ A. C. 1673. ubi epide-  
 micæ grassabantur Variolæ aliquos vidi post illas surdastræ,  
 alios paralyticos. Medici Neostadiensis D. D. J. F. W. filiæ  
 Heidelbergæ post Variolas oriebatur Ægyptopia, qualēm in a-  
 lia quoque minore ibidem observavi. A. C. 1695. tempore  
 verno*

verno Vitembergæ apud Saxonas plures infantes mihi offerabantur, qui post Variolas Hypopyo laborabant. Nec defecerunt huiusque Dno. Prætidi complura, in praxi ipsius numerosa, exempla, idem testantia, quod partim sub variolis, partim post variolas, Hypopion fuerit obortum; ubi præcipue semel tanquam notatu dignum observavit Filiam 12. annorum variolis laborantem Hypopio correptam, & rupto sponte Hypopyo, per humorum omnimodam effusionem, visum amittentem; cuius mater eodem ætatis anno, sub variolis, in ejusdem lateris oculo, idem perpesta fuerat infortunium.

## XII.

Ad Prognosin tandem devolvimur, ibique notamus; affectum nostrum in genere quidem deleterium aut vitæ periculo complicatum non esse, nihilo minus tamen respectu Visus, graviorumque symptomatum magnis stipatum esse periculis. Si enim cum inflammatione dolores in oculo augeantur & continuantur, periculum subest de dolorum transitu in spasticas, imo convulsivas & epilepticas tractiones, per nervorum consensum oriundas: nec metus de sphacelatoria afe&tarum partium corruptione plane de nihilo est. Speciatim vero prognosis circa Hypopyon eo tendit; ut abscessulo illo formato, unitatis læsio tunicæ corneæ, aut conjunctivæ, succedat, quæ si ad interiora oculi penetret; facillimo negotio omnium humorum ex oculo profluvium, sub abscessus perruptione, post se trahere valebit. De reliquo tamen notandum; quod hypopyon in conjunctiva obnatum paulo minore gaudeat periculo, propter majorem quā in hac re-

regione oculus gaudet densitate & tunicarum firmitate ac crassitie, in qua facilis hypopyon locum capere, & circa exteriora ipsius persistere potest: cum ex opposito longe majus secum periculum gerat, quando Corneam ipsam occupat, & quidem quo magis medium ipsius obsidet, atque pupillam attingit. Hic enim cum tanta crassities bulbi oculi non adsit, & sub cornea immediate humor aqueus positus sit, facilior est abscessus & erosionis penetratio per totam tunicam, & si ruptura, aut apertio fiat, humorum effluxus, cum visus amissione: aut licet humorum effluxus non contingat, cicatrix foeda corneam occupans, quo proximior pupillæ est, itidem visum perdet. Majus quoque ancipitis evenitus periculum subest quando materia suppurata oculi cameras replet, quam si peculiari pustulæ inclusa fuerit; ex hac enim facilis, quam ex illis felix evacuatio sperari potest cum succedente consolidatione. Quo major etiam a causis violentis concurrit oculi conquassatio, & fibrarum motricium, aut vasculorum lœsio, eo minor subesse poterit spes discutendæ staseos, & tanto gravius secundum omnia symptomata metuendum est Hypopyon, propter defecatum motus, quo dispulsio humoris evasati fieri debet. Nec possumus, quin pejorem successum, graviusque incrementum hypopyi prædicamus, quando noster affectus immediate cum variolis jungitur, aut illas proxime sequiturs eam ob rationem, quod humores sub variolofo illo inquinamento per se acriores non modo existant; sed sub motibus illis fer-

men-

mentatoriis universalioribus, adhuc aciores, & quidem breviore temporis spatio fiant, ideoque hic etiam majus inducere possint damnum.

## XIII.

Per tractatis nunc illis, quæ ad considerationem rationalem theoreticam Hypopyi pertinent, ordo tractationis quoque exposcit, ut ea subjungantur, quæ practicam ipsius contemplationem respiciunt, viamque monstrare possunt quo modo therapeutice illius tractatio suscipi secundum rationem debat. Hoc ut rite & legitime fiat, distinctio aliqua facienda erit inter Hypopyon in primo initio constitutum, & Hypopyon perfecte formatum; nec minus, quantum tunicarum oculi substantiam occupat; aut quantum materia suppurata inter corneam & uveam hæret; secundum utramque enim circumstantiam indicationes curatoriæ ex aliqua parte erunt diversæ. Si enim Hypopyon in primo fieri constitutum sedem suam in exteriore parte corneæ aut adnatæ formaverit, pustulamque simplicem elevatam humore magis limpido, quam actu jam purulento repletam referat, sæpiissime spes adhuc subest impenetrandæ resolutionis ac discussionis cum omnimoda oculi conservatione, antequam ad veram perfectamque transeat suppurationem. Si vero pus collectum sit sub cornea, humorique aqueo perfusum, nulla amplius discussio aut resolutio locum habere poterit, pariter ac in altero casu, quando pustula in cornea aut adnata perfecte jam suppurata, ac materia vera pu-

rulenta repleta appareat, sed potius apertoris promotio procuranda erit: Unde secundum has allegatas circumstantias, vel tentanda erit Hypopyi fi-entis discussio: vel facti & perfecte formati ad debitam maturitatem perductio: quam excipere debet materiae purulentæ eductio; abscessuli quam pos-sibilis abstersio & mundificatio; ejusdemque tandem consolidatio.

#### XIV.

Prima indicationum solum locum habet, quan-do in tunica cornea, vel etiam conjunctiva extror-sum pustula sub reliquis inflammationis concurren-tis signis, efflorescit, priumque initium capit, ita ut ex colore humoris inclusi, & mora temporis, spes aliqua discussionis adhuc adpareat. Ad hanc im-petrandam a veteribus variæ revulsiones commen-dantur, laudantur: siquidem Paræus Cap: De Hy-popyo scribit: *In curatione præmissis universalioribus affigentur cucurbitulæ cum scarificatu; frictiones impera-buntur;* nec non uti Dolæus ex mente Galenicorum notavit, Venæfæctio administrabitur. Quæ omnia, si de cetero status plethoricus urgeat, ætasque con-grua conspiret, non sunt contemnenda aut negli-genda, sed potius in locis declivioribus, pro tanto meliore derivatione ac revulsione adplicanda. Neque hoc scopo Laxationes contemnendi usus erunt, sed optimo consilio accommodatae existunt, quatenus nempe generaliter humorum affluxum atque decu-bitum ad caput & partem affectam, imminuunt;

& ita

& ita privative facilitiori discussioni inserviunt. Inter externa remedia pharmaceutica hoc intuitu applicanda recenset Dolæus Spiritum Vini Camphoratum Succo Chelidonii remixtum, quo oculus frequenter sit abluendus: circa cujus applicationem tamen haud minimi momenti restat dubium, respectu sensibilitatis oculi, quæ spiritum vini camphoratum haud tolerare solet aut potest: quamvis enim Spiritus vini camphoratus externe oculi confiniis illitus, aut linteamine quadruplicato impositus haud incongruus esse possit, sed maxime conveniat; nihilominus immediata ejus in oculum applicatio concedi nequit, cum in contrarium facile possint allegari exempla: siquidem Dn. Præses allegavit historiam: De Infante, cui aliquot guttæ Sp. Vin. Camph. a Medico quodam, ex male intellecta aut interpretata sententia Celeb. Stahlii; in oculos lippitudine laborantes instillatæ, tantos dolores, ardorem, ruborem, atque tumorem excitarunt, ut de coëcitate haud minimus adesset metus, quæ tamen sub legitima cura per DEI gratiam fuit præoccupata.

## XV.

Præstat autem maxime in principio, ubi aliqua adhuc spes discussionis subest, Camphoram halituosa applicatione adhibere: quale quid cum frustu ante aliquot annos præststit Dominus Præses in Puer 2. annorum Variolis laborante; cui circa diem morbi nonum aut decimum circiter Pustula talis lentis magnitudine erumpebat, ita ut dimidium pustulæ



corneam, dimidium vero adnatam tangeret, cum oculi rubore atque dolore. Huic consulturus repetitis per horas singulas vicibus insufflare jussit Dn. Præses halitum Camphoræ masticatæ, id quod sub Divina benedictione tantæ efficaciæ fuit, ut spatio trium dierum successive tota illa pustula evanesceret, & inflammatio quæ aderat discuteretur, oculusque in hunc diem salvus servaretur. Nec citra usum erit applicatio sacculorum paregoricorum ac resolventium, ex Herbis fœniculi, Origani, Serpilli, Thymi, Flor. Lavend. Semin. Anisi, Foënic: paratorum camphoratorum: si seci & calidi, aut Vino decocti, & fortiter expressi oculo continue admoventur.

## XVI.

Altera indicatio requiritur quando prima vel plane non applicari potest, quoniam maturatio coëpta discussionem non amplius promittit; vel irrita est ac vana, & citra effectum speratum frustra applicata fuit, in eodem casu ubi pustulæ forma Hypopyon oculi tunicas occupavit: quamvis etiam haud sine fructu fuerit hæc indicatio in altero illo casu, ubi materia purulenta sub cornea, hanc inter & uveam, collecta fuerit, quo tanto facilior deinceps sit illius emissio & tunicæ apertio. Commendantur autem pro hac intentione remedia emollientia & maturantia dicta: quo nomine Cataplasmata & fomenta, ex Chamomilla, Fœnugræco, Sem. Lini, Psyll. Farin. Fabarum, aliisque Lacte decocta commendata leguntur, si calide oculo læso adplicantur. De quibus ta-

men

men notamus, quod quidem communiter a Scriptoribus sub titulo discussionis, non autem maturationis suscipienda præscribantur; sed ipse effectus horum remediorum notissimus, de vera intentione quasi testetur. Facta ita debita materiae inclusa præparacione ad exitum, nil amplius restare potest, quam ipsa Hypopyi apertura, purisque effluxus.

### XVII.

Circa hanc merito quæstio movetur, an ruptura spontanea sit expectanda? an vero artificialis & chirurgica apertio sit præferenda? Ad quod respondemus: quod in eo casu, ubi pus sub cornea, inter hanc & uveam hæret, spontanea ruptura expectanda non sit, nisi expectare simul velimus, quod ex aperitura corneæ, quam materia suppurata facile nimiam reddere potest, humores oculi simul effluant, & omnimoda coëcitas sequatur: Unde in hoc passu absolute præferenda est apertio chirurgica, quæ pro lubitu magis & necessitate, ab ipso chirурgo dirigi atque institui potest; antequam cornea ab acreidine materiae, ad majorem quam pars est mollitiem, aut ulcerationem, perducatur. Ubi vero pustula Hypopyon constituens exteriora corneæ, aut conjunctivæ occupat, sedemque intra illarum substantiam lamellatam formavit; apertio chirurgicam quidem, si tempestive adhibetur, meliorem & præferendam esse putamus, præ rupturæ spontaneæ expectatione; ex eo fundamento, quod certiores aliquo modo esse possimus, de puris emissione, & lamellarum tunicæ interiorum conservatione, quippe quæ sub ruptura



spontanea in dubio & ancipi manet: interim tamen neque in totum expectationem rupturæ rejicimus; præsertim si defectus chirurgi in hoc negotio exercitati concurrat, cum præcipue ejusmodi casus haud deficiant, qui spontaneam hypopyi perruptionem æque feliciter successisse, tunicasque oculi pariter conservatas fuisse, testantur; prout sequens casus ex observatione Dn. Præsidis id declarabit.

### XVIII.

Puer quinque circiter annorum valde succulentus, & spongiosi habitus, affectibus catarrhalibus antea obnoxius, corripiebatur Variolis, copiose sati efflorescentibus, & sub maturatione confluentibus; quibus tandem superatis, quindecim circiter diebus post absolutam curationem, ophtalmiam incidebat, cum adnatæ suffusione: ad hanc debellandam accersunt parentes chirurgum in oculorum afflictionibus de cetero laudatum, qui duos per dies linimentum oculo adplicat arcanum, quo factò proxima nocte ita increbescunt dolores, cum oculi rubore atque tumore, & vesicula quasi in cornea apparente; ut parentes non nisi de Oculi amissione totali ac deturpatione visus inevitabili maximam gererent curam: qua propter sine temporis dispendio, per aliquot milliaria licet dissimum ægrum afferebant. Sub examine affectus totus Oculus adparebat inflamatus, extra orbitam valdopere prominens, & pustula illa maximam corneæ partem tegebat, ita ut pisi majoris magnitudinem referret, concurrentibus de cetero magnis in oculo doloribus. Adhibebatur

statim Laxans pro humorum revulsione a capite: & pro tentanda discussione, si non Hypopyi, quam sperare non licebat; tamen reliquæ inflammationis totius oculi, non modo halituosa Camphoræ masticatæ insufflatio suscipiebatur, sed sacculi quoque ex serpillo, Thymo, Euphrasia, Origanico, Foëniculo, vino decocti, calide diligentissime oculo imponebantur: quibus adhibitis intra nycthemerum inflammatio notabiliter mitigabatur, dolores remittebant, & oculus aliquantum detumescebat; manente pustula hypopyon constitente; ita tamen, ut successive lamella corneæ tenuior appareret, magisque extrorsum elevata; quo perspecto omnia, præcipue sacculi vino decocti, priori modo sine innovatione aut mutatione per 24. horas continuabantur, & quidem eo effectu, ut dicto tempore elapsò Hypopyon rumperetur, & pus efflueret, cuius facilitior effluxus continuata fomentatione calida & humida movebatur; cum interea reliqua etiam inflammationio successive decresceret; ut ipsi hypopyo tanto melius invigilari posset, per abstersiva & detergentia, quibus per intervalla laxationes interpositæ fuerunt; adeo ut visum nunc quoque recuperare incipiat puer, cum cicatricula remanens, & corneæ diaphaneitatem impediens, ad sui remotionem varia cum expectatione patienti requisiverit,

## XIX.

Ubi autem spontanea talis hypopyi perruptio haud tempestive succedit, aut expectari nequit, ibi nullum restat auxilium nisi in chirurgica Hypopyi

pyi pertusione, ac promoto materiæ purulentæ effluxu: quapropter eaque huc spectant, nunc quoque ordine atque decenter erunt explicanda. Ipsa itaque operatio chirurgica, licet primo intuitu levioris quasi momenti videatur, requirit Chirurgi dexteritatem & exercitationem in hoc negotio: Instrumentum adæquatum: & regularum quarundam aut cautelarum observationem. Ad primum requisitum præcipue pertinet oculorum acies & manuum firmitas in chirurgo, (quæ repetito exercitio tanto magis obfirimatur) ne vel visus defetur, vel manuum tremulo motu accuratisima instrumenti directio & applicatio ad locum debitum impediatur. Alterum quod attinet, instrumentum puta adæquatum & huic operationi aptum, non equidem peculiari hunc in finem excogitato artificiose instrumento opus est, sed sufficere poterit Lanceola qua ad phlebotomiam utimur, modo non sit admodum lata, sed magis acuminata, quæ ne profundius præter aut contra chirurgi intentionem, cum damno ægri penetreret, emplastro quodam, aut terebinthina cocta, ad distantiam debitam involvi poterit, quo tanto securius a chirurgo applicari possit. His breviter prælibatis, ipsam deinceps subjungimus operationem cum regulis circa illam observandis, quarum prima erit, ut æger in commodum situm ponatur versus lucem, quo chirurgus in operando tanto securior sit, & quidem ita ut caput ægri firmum teneatur ab alia persona, ne hinc inde moveatur, ac operatio turbetur. Apertis palpebris annulum quem speculum oculi vocant adhibere

bere solet chirurgus, quo oculi bulbum firmiter teneat; id quod aliquando vel minus necessarium, vel minus adplicabile existit; dum quandoquidem chirurgus propriis digitis idem efficere potest. Hoc facto chirurgus tecto prius oculo sano lanceola Hypopyon in inferiore aut decliviore loco pertundat, ut pus collectum effluat, quod ut sufficienter, fiat sufficiens debet esse apertura, ne nimis parva puris effluxum impedit, præcipue si spissiusculum fuerit; ad cuius evacuationem plenariam leviorum oculi professionem commendant; quam tamen non semper necessariam, aut utilem, ob oculi sensibilitatem, judicamus; scientes, quod calida oculi fomentatio, de qua superius dictum est, sub pauca expectatione puus fluxile reddat, idemque præstet.

## XX.

Haud immerito nunc quæstio movetur, in quo specialissimo loco chirurgus apertio instituire debeat, cum plurimi authorum a Galeni ad nostra usque tempora, quos inter sunt Nuckius, Verduyck, Dolæus, Heisterus, Paræus, Solingerus, Fabricius ab Aquapendente, Dionis, etc. locum puncturæ sine exceptione determinent in inferiore corneæ margine, sive circa adnatæ & corneæ conjunctionem, ita ut oblique secundum ductum fibrarum adigatur Lanceola obliqua; alii autem inter chirurgos praticos opinionem foveant, melius esse, si apertio in medio corneæ instituatur. Nostram si hac de re explicare debeamus sententiam, distinguendum esse judicamus, an Hypopyon pustulam formaverit in substantia tunicarum, an vero pus effu-

sum inter corneam & uream hæreat? si prius; apertio institui necessario debet in ipsa illa pustula, quemcunque demum locum oculi specialissime occupaverit: si posterius; duo potissimum occurunt dubia consideranda: unum circa humorum oculi effluxum, alterum circa cicatricem in cornea nascentem visumque impedientem. Illi qui apertio nem in medio corneæ suadent ac sustinent, respicere videntur, ad faciliorem humoris aquei & reliquorum effluxum, per locum declivem vulneratum, quem magis præcaveri aut evitari putant sua enchiresi: illi vero qui in inferiore corneæ margine apertio nent suadent, evitare quam maxime student turpis cicatricis inductionem, qua pupilla facile tegitur & obscuratur: nec est quod una præ altera parte aliquam hac de causa mereatur reprehensionem; cum utrumque incommodum consideratione sit dignissimum.

## XXI.

Interim cum in rebus dubiis semper minimum ex duobus sit eligendum malum, notissimum est, humorem aqueum licet ex parte simul cum pure effluat, haud difficulter restitutum iri, ejusque simplicem effluxum haud gravem incutere metum. Reliquorum quod attinet humorum profluvium; & hinc dependentem coëcitatem, notorium est, hoc non a specialissimo loco vulnusculi inflati, sed a vulnusculi magnitudine dependere, quod ut præcaveatur, cautum esse decet chirurgum, ne apertio nimis latam & magnam faciat, cum hac cautela non observata, semper illud profluvium contingere possit, sive apertio instituta sit in medio, sive in margine corneæ. De cicatrice autem subnascente in medio corneæ post alterum operacionis modum haud dubius esse potest chirurgus, cum fere sit inevitabilis; Unde concludo, priorem methodum utique secundum rationes allatas ordinarie meliorem ac præferendam esse; quamvis non reticere possim, me ipsum ante annum aut quod excurrit, in virgine 50. annorum, cui post Cataractæ de-

depositionem, postquam Ophtalmijater ægram triduo post operationem deseruerat, atque discussio inflammationis ab alio Medico frustra tentata erat, Hypopyon obnatum fuit, apertione instituisse circa medium corneæ partem, & quidem felici successu, nullo remanente cicatricis vi- sum impedientis vestigio, quod tamen, cum semel saltem obtigerit, in regulam vertere nolo. Non possum quin in transitu quasi enchiriseos illius mentionem faciam, cuius Galenus recordatur, de Ophtalmiatro, qui Hypopyon curaturus, caput ægrotantium ita motitabat & succutiebat, ut pus ex camera oculi anteriori & humore aqueo, ad fundum quasi oculi decideret, & ita pupillam liberabat: circa quod remedii genus alii dubium jam move- runt, quod neque vera discussio hinc sit speranda, ne- que puris evacuatio, ideoque tanquam adæquatum com- mendari non mereatur.

## XXII.

Ad plenariam Hypopyi a materia purulenta libe- rationem commendatur aquibusdam in casu puris spissio- ris, suetio per tubulum huic negotio accommodatum; id quod cuilibet relinquimus liberum; simul autem com- mendamus abstersionem necessariam per mundificantia, ut vulnusculum probe mundatum tanto citius atque felicius consolidetur; quem in finem Myrrhata & Crocata com- muniter sub colliriis aqueis laudantur, quæ tamen sub ve- hiculo tali aqueo parum efficiunt. Unde potius ex sen- tentia Dni. Præsidis, partim Unguentum illud Ophtalmi- cum Hartmanni a Dolæo maximopere laudatum, ex fel- libus Anser. Gallin. & Melle paratum; partim Axungi- am Viperarum aut Aschiæ piscis commendamus, tanquam certiores de horum effectu ab ipsa experientia repetita facti. His omnibus recte adhibitis necessitas quoque po- stulat, immediate post operationem chirurgicam suscep- tam per aliquot ad minimum dies accessus luminis arcea- tur ab oculis; & æger in loco obscuriore detineatur, ne ab

ab accessu luminis major quam par est sensibilitas oculo contrahatur, & affluxus humorum augeatur, aut invitetur. Nec omittenda sunt, in eo præcipue casu, ubi pus corneam inter & uveam hæsit, constringentia & exsiccantia, pro citius occludendo vulnusculo; quo intuitu etiam communiter Collyria ex succo Chelidonii, Aqua Euphrasiæ, fœniculi, Tutia præparata, & pauco Vitriolo albo parata commendantur.

XXIII.

Ultimum quod restat in hoc negotio, duo illa in commoda conseſtaria respicit, nempe Humoris aquei effluxum, & hinc pendentem oculi collapsum & imminutionem; & Cicatricis in cornea aut adnata generationem. Notandum vero circa prius, quod solius aquei humoris effluxus nihil portendat, cum ille si modo vulnusculi consolidatio acceleretur, facile sponte restituatur, pristinamque formam oculo reddat; & quod hic effluxus non metuendus sit, nisi apertura facta totum oculi bulbum ad cavitatem usque penetraverit. Cicatricem quod attinet, ipsius quidem generatio in totum fere præoccupari nequit; si autem in margine corneæ, aut penitus obnascatur, nullum inde timendum est damnum respectu visus, quoniam pupillam non tegit aut obscurat: si vero forsitan corneam ita obſideat ut pupillam tegat, postea opera erit impendenda, ut lenioribus septicis & abſtergentibus ipsius callositas pro viribus removeatur, quod facilius successive obtinetur, quando Hypopyon in substantia corneæ hæſit. Hunc in finem partim Pulveres ex sacharo Canariensi, osse ſepiæ & Vitriolo albo quotidie insuffandi, partim Axungiaæ ſupranominatæ pervices instillandæ, locum habebunt: quibus omnibus pro revulſione Decubitus humorum ad oculos, tam Laxantia interposita, quam pro re nata Fonticuli ſubjungi poſſunt, & ſic patien- ter optatus in totum expectandus erit

FINIS